

post mortem promissoris: Ergo ad hæredes non transit, maxime quod textus in *dist. leg. final. in 2. part. in vers. Sin autem.* aperte dicit, quod illa dispositio tantum habeat locum in possessione quæsitâ; secus verò in quærenda; quia in ea bene possunt illæ personæ domino præjudicare, facit etiam textus cum materia, in *leg. Si quis societatem contraxerit. ff. Pro socio.* Vel aliter & tertio, & valde subtiliter potest dici, quod iste modus & forma prohibitionis indistinctè sit verissima & perpetua, & transeat ad hæredes; nam licet constitutum, virtus, & effectus ejus non transeat ad hæredes, sed extingatur morte constituentis; tamen illa habilitas, potentia, & extremum constituti, quod aderat in ipso contrahente prohibito alienare, à principio & ipso instanti affecit rem illam, ut amplius non possit alienari: & constitutum fuit quoddam jus reale impeditivum alienationis, quod perpetuo durat, & transit ad successores; licet illa habilitas, qualitas, & extremum constituti non duret post mortem prohibiti; argumento textus junctâ Glossa singulari, & declaratione Bald. & communi in *leg. 3. Cod. de Usufructu.* ubi habetur, quod licet requiratur patria potestas ad hoc ut pater possit habere usumfructum in bonis filii; tamen sufficit, quod illa sit à principio tempore acquisitionis, non autem requiritur in duratione vel continuatione: facit etiam text. in *leg. final. Cod. Ad Tertium.* & ibi Bart. & communiter DD. in *leg. final. Cod. Commun. de success. text. in leg. Quod scitis. Cod. de Bonis quæ liber. textus in leg. final. §. Filiis autem. eod. tit. textus in leg. Si is qui animo. ff. de Acquirend. possess. text. in leg. Item illa. ff. de Constitut. pecun. textus in Authent. de Hæred. ab intest. venient. collat. 9.* Sed advertendum, quod similiter ista responsio & solutio non videtur vera nec concludens; quia illa jura procedunt & loquuntur, quando jus, de quo tractatur, est jam perfectè quæsitum parti; undè, si illo tempore acquisitionis ille actus habuit sua essentialia, non vitatur, licet illa non durent: Sed in nostro casu actus constituti non est consummatus, nec ex eo est quæsitum contrahenti jus possessionis; sed pendet ejus virtus & effectus in tempore existentis conditionis: sed illo tempore deficiunt sua essentialia & extrema: ergo cessat virtus & effectus ejus. Pro quo facit: quia si actus est conditionalis, & conditio verificatur re jam perempta, non trahitur retrò, quia deficit extremum habile: textus est in *leg. Necessario. versic. Sanè si pendente conditione. ff. de Peric. & commod. rei vendit. ubi, si conditio contractus extiterit re perempta, non trahitur retrò. Vel aliter & quarto potest dici,*

quod iste modus prohibitionis indistinctè sit verissimus & perpetuus, & transeat ad hæredes ratione constituti; quia quando contractus, in quo ponitur constitutum, fit sub conditione, quæ de necessitate secundum juris dispositionem debet retrahi, & illa conditio adimpletur, modò in vita, modò post mortem constituentis, sicut retrahitur ipse principalis contractus, ita etiam retrahitur constitutum, virtus, & effectus ejus: ita determinat Oldrad. *consil. 139. 2. column. versic. Tertium erit.* Philipp. Dec. in *Regul. Contractus. 9. column. num. 12. de Regul. jur.* Sed istud etiam reprobavi in materia possessionis, in actu ficto clausulæ constituti, quam pono in *leg. 45. infra eisdem legib. Taur.* ubi omninò vide. Undè teneo primam solutionem, & modificationem, quam posui in isto articulo.

23 Tertius modus, per quem impeditur alienatio & translatio domini, est per iudicis decretum & auctoritatem; Undè, si fiat contractus inter partes, & pactum de non alienando, & iudex confirmet talem contractum, & auctoritate & decreto suo interdicat alienationem, impediatur alienatio; argumento textus in *leg. Julianus. ff. de Curator. furios. & quasi per totum textus in leg. Si sciens. ff. de Contrahend. empt. text. in leg. Is cui bonis. cum materia. ff. de Verbor. obligat. & argumento optimi textus in *leg. Judicem. ff. Commun. divid. text. in leg. Divus. ff. de Petit. hæred. in princip.* per quæ jura ita tenet Petr. de Bellapert. in *leg. Ea lege. Cod. de Condict. ob caus. penultim. column. in fin. Alberic. 3. column. in princip. Aret. in leg. Si ita quis. §. Ea lege. de Verbor. obligat. final. column. in fin.* tenet etiam expressè Bart. in *leg. Filiusfamilias. §. Divi. ff. de Legat. 1. penultim. column. num. 6.* licet corruptè alleget *dist. leg. Julianus.* tenet etiam Bald. in *leg. final. Cod. de Pact. inter emptor. venditor. 1. column. & quæst.* Contrarium tamen & melius tenet Bald. in *dist. leg. Ea lege. fin. column. & quæst. Salycet. ibi fin. column. & quæst. Imol. in dist. leg. Filiusfamilias. §. Divi. de Legat. 1. 3. column. post princip. & melius ibi Alexand. 6. column. num. 19. Jas. ibi 14. column. num. 66.* qui bene loquitur, Cin. in *leg. fin. Cod. de Rebus alien. non alienand. col. 1. num. 3.**

24 Et hoc tali fundamento; quia ex sententia & decreto iudicis non transfertur dominium in aliquem sine actuali traditione, ut notatur latè per omnes in *leg. Pomponius. §. Si jussu. ff. de Acquir. posses. maxime per Aret. ibi 3. column. num. 9.* qui dicit, hanc esse communem opinionem, & ibi Roman. 3. column. in princip. Alexand. 3. col. num. 9. & in expressò tenet Glossa notabilis & ordinaria in *§. fin. Instit. de Offic. jud.*

jud. in glossa final. post principal. ubi dicit, quod sola sententia non facit quem dominum, sed traditio; quam ibi notat & commendat Angel. de Aret. 2. column. num. 2. & communiter DD. tenet etiam Bartol. in *leg. Ex hoc jure. ff. de Justit. & jur. 2. column. num. 2.* & ibi Paul. penultim. column. n. 12. & ibi latè Jas. 6. column. num. 44. Bald. in *leg. 1. 2. column. num. 5. Cod. Commun. utriusque judic. & ibi alii DD.* Confirmatur etiam, quia factum iudicis & partis æquiparantur, ut in *leg. Non est mirum. ff. de Pign. action. & in leg. Si ob caus. Cod. de evictio. si ergo auctoritate & sententia iudicis non transfertur dominium sine traditione, sequitur quod sola iudicis auctoritas non potest impedire translationem domini. Nec obstant jura superius allegata; quia loquuntur & debent intelligi, quando prohibitio iudicis fit cum legitima causa & à jure approbata; puta si quis est prodigus & dissipator bonorum, ut in *leg. Julianus. de Curator. furios. cum similib.* vel propter litem pendentiam, & aliquam suspicionem, ut in *leg. Divus. ff. de Petit. hæred.* vel propter suspicionem fugæ debitoris; quo casu sicut potest fieri sequestratio bonorum mobilium, ita potest fieri interdictio alienationis bonorum immobilium: textus est singularis & unicus in *l. de Pollicitationib. in fin. ff. de Pollicitat. ibi: aut prohibebunt distrahi fundum, quem in territorio Gabinorum habet.* & ad hoc notat & commendat ibi Bartol. & dicit mirabilem Alberic. & dicit singularem Bald. in *leg. Per diversas. Cod. Mandat. 3. column. 9. quæst. & dicit unicum Alexand. in leg. Filiusfamilias. §. Divi. ff. de Legat. 1. 6. column. num. 20.* & notat & commendat Alberic. post Antiquos, in *leg. Si fidejussor. §. Si satisdatum. ff. Qui satisfac. cogan. & ibi Jas. 2. column. num. 8. idem Jas. in §. 1. Institut. de Action. 10. column. num. 8.**

25 Quartus modus, per quem impeditur alienatio & translatio domini, est quando apponitur persona cujus contemplatione fit prohibitio; ut puta, si quis donet alteri fundum vel aliquam rem, hoc pacto, ut post mortem vel certum tempus restituatur cuidam tertio, & per consequens post mortem tertii restituatur alteri, & quod talis res vel fundus non possit alienari: nam tunc, in contractu donationis favore exercentis liberalitatem, post mortem vel tempore gravati, quæritur actio illi tertio, imò & domi-

nium ejus: textus est singularis in *leg. Quoties. Cod. de Donat. quæ sub mod. quem notant & commendant ibi DD. & dicit singularem Imol. in leg. Stipulatio ista. §. Si stipuler. final. column. in fin. de Verbor. obligat. facit textus in leg. 2. eodem titul. ubi habetur, quod donatio potest fieri ad tempus certum: textus est notabilis in *leg. fin. Cod. de Legat. ubi dicitur, quod donatio & contractus potest fieri ad tempus, & similiter legatum vel fideicommissum: Et in expressò pro hac sententia & conclusione est hodiè novissima & singularis lex 7. tit. 4. 5. part. quæ disponit, quod si quis donet rem vel fundum alteri usque ad diem vel tempus certum, ut post illud tempus pertineat & restituatur donatori, vel hæredibus ejus, vel cuidam tertio; quod statim illo die vel tempore transacto, dominium & possessio illius rei quæritur ipsi donatori, vel hæredibus ejus, vel illi tertio: & sic est ibi novissima & singularis lex, quod hodiè in contractu donationis potest fieri prohibitio alienationis, quando designatur persona cujus favore fiat prohibitio: imò licet non fiat expressa prohibitio, sufficit quod sit persona, cui debeat res donata post tempus restitui; quia tali casu in eam transit dominium & possessio: Undè infertur, quod non potest alienari; & si de facto alienatur, quod veniente casu restitutionis, dominium & possessio transit in eam, & poterit rem vindicare à quocumque possessore: & per illam legem ita tenet & declarat solus Roderic. Suar. in *repet. leg. Quoniam in prioribus. fol. 97. 2. column. in princip.***

Sed advertendum, quod ista opinio aperte est falsa; imò teneo, quod tam de jure communi, quam etiam extante illa lege Regia, in contractu donationis, nec in alio oneroso, vel lucrativo nunquam potest prohiberi alienatio, etiamsi designetur persona cujus favore fiat prohibitio, vel post aliquod tempus ei debeat restitui. (o) Et ista est verissima & tenenda sententia, pro qua facit expressus textus in *dist. leg. Ea lege. Cod. de Condict. ob caus. ubi habetur, quod si quis donavit alteri aliquam rem hoc pacto, ut eam non alienet, non prohibetur alienare, sed tantum tenetur donatori vel hæredibus ejus ad interesse: Sed tali casu semper intelligitur in contractibus persona, cujus favore censetur prohibita alienatio, scilicet ip-*

(o) Quam sententiam communem testatur Covarrub. in *cap. Raynaldus. in princip. num. 4. fol. 131. de Testament. Jas. in Authent. Res quæ. Cod. Communia de legat. Suar. allegat. 9. column. 6. & 7. idem Jas. in leg. final. Sed quia. num. 4. Cod. Ad Trebellian. licet Suar. ubi supra, & in allegat. 19. in med. aliud velit.*

se contrahens, vel hæres ejus; & tamen hoc non sufficit, ut impediatur alienare, sed tantum poterit ad interesse, ut ibi disponitur: Ergo idem sit in nostro casu: quia licet designetur tertia persona, cujus favore prohibeatur alienatio, non tamen possit impedi: & non expressè probat illa lex secundum verum & communem intellectum. Faciunt etiam pro hac parte omnia fundamenta & rationes, quas allegavi supra in favorem communis opinionis, quæ habet, quod per contractum non potest impedi alienatio. Præterea in terminis facit textus & communis opinio & resolutio in leg. *Filius familias. §. Divi. de Legat. 1.* de quo latius infra dicemus: ubi habetur, quod specialiter in ultimis voluntatibus, earum favore per testatorem potest impedi alienatio, quando apponitur justa causa, vel designatur persona cujus favore impediatur alienatio: ergo indistinctè etiam in illis casibus contrarium dicendum est in contractibus. Facit etiam concludens ratio & fundamentum; quia in contractibus nullo modo potest transferri dominium nec possessio ex contractu vel ex distractu, etiam concurrente voluntate partium, nisi interveniat vera vel ficta traditio, ut in leg. *Traditionibus. Cod. de Pact. cum similib. & in leg. Ab emptionis. ff. de Pact. & in leg. 1. & 2. Cod. Quando liceat ab emptione disceder.* Confirmatur etiam ex doctrina Glossæ notabilis in leg. 1. *Cod. de Inoffic. donat. in glossa mag. in versic. At hic non ita credo.* ubi dicit, quod in casibus, in quibus ex aliqua dispositione ipso jure transfertur dominium sine traditione, resoluta illa dispositione & titulo, transfertur ipso jure dominium sine traditione: secus verò si in dispositione requiratur traditio ad translationem domini, quia similiter requiretur in ejus dissolutione: & illam Glossam ad hoc dicit ibi valde notabilem Bald. in fin. versic. & Alexand. in leg. final. *Cod. de Legat. 2. column. num. 3.* & istam doctrinam ponit Bartol. licet illam Glossam non alleget in leg. *Et ideo. ff. de Condit. furt. 1. column. num. 2.*

26 Et tenendo istam partem prout est tenenda, dico, quod non obstat textus in dict. leg. *Quoties. Cod. de Donat. quæ sub mod.* ubi videtur probari contrarium, imò quod illi tertio quærat actio: Quia respondeo, quod quæritur sibi actio merè personalis contra donatarium vel hæredes, ut restituatur sibi res, quam sub hoc pacto & modo recepit, non verò quæritur sibi dominium, nec possessio aliqua, actio realis, utilis, nec directa: & ita intelligit ibi Glossa ordinaria Petr. Cyn. Alber. Faber. Bart. Bald. Angel. Salyc. & communiter DD. Et ut verus & perfectus intellectus illius legis

appareat, dico, quod regulariter ex pacto apposito super re mea, quæ debet durare mea, bene quæritur actio tertio: secus quando non debet durare mea: textus est in leg. *Publio. in princip. ff. Deposit.* ubi, si depono rem meam apud te, ut alteri restituas, quæritur illi actio: & ad hoc notant & commendant ibi Bart. Bald. Salycet. Paul. de Castr. & communiter DD. textus in leg. *penultim. Cod. ad exhibend.* & ibi notant Cin. Petr. Jacob. Butr. Bart. Angel. Bald. Salycet. Paul. & communiter DD. Si verò apponatur super re, quæ non debet durare mea, non quæritur actio tertio: textus est in leg. *Certi conditio. §. Quoniam. ff. Si cert. petat. & in leg. Debitor. §. fin. ff. Ad Trebellian. & in leg. Filia. ff. de Solution.* hoc tamen fallit in contractu donationis favore exercentis liberalitatem, quia ex pacto in tali contractu posito quæritur actio personalis tertio, licet res non duret mea: ille est textus qui sic debet intelligi in dict. leg. *Quoties. Cod. de Donat. quæ sub mod.* & in specie istam doctrinam & resolutionem ponit Bart. in leg. *Certi conditio. §. Quoniam. ff. Si cert. petat. 2. column. num. 6.* & ibi Angel. in fin. & notabiliter ibi Paul. de Castr. 1. column. num. 9. Jas. 2. column. num. 2. Philipp. Dec. in fin. Bart. in leg. *Stipulatio ista. §. Si stipuler. penultim. column. in fin. de Verbor. obligation.* & ibi Alexand. penult. column. & final. column. Jas. penultim. column. num. 20. idem Jas. in leg. *Quod dicitur. eod. tit. fin. column. & quest. Imol. in leg. Ex facto. §. Si quis rogatus. el. 1. 4. column. ad Trebellian.*

27 Non obstat etiam text. in l. 2. ejusd. tit. *Cod. de Donat. quæ sub mod. & in leg. final. Cod. de Legat.* ubi habetur, quod donatio vel contractus potest fieri ad tempus, ita ut post tempus res debeat restitui vel reverti donatori vel hæredibus: Quia respondeo, quod debet intelligi modo prædicto, scilicet, ut quærat ei tantum actio personalis, non verò dominium, nec possessio, nec actio realis: Et in terminis ita tenet & declarat Petr. de Bellapert. in dict. leg. 2. & est de mente Bald. & omnium DD. ibi, tenet etiam Petr. de Bellapert. in dict. leg. fin. *Cod. de Legat.* Secus tamen est in ultimis voluntatibus; quia si testator legavit rem usque ad tempus, ut post tempus sit hæres; post illud tempus ipso jure transfertur dominium rei in hæredem: ita debet intelligi text. in dict. leg. final. *Cod. de Legat.* in quantum loquitur in legato, vel fideicommisso: & ita tenet & declarat ibi Glossa ordinaria in glossa penult. in verb. *Remanentibus.* & ibi Petr. de Bellapert. Bart. Salyc. Alexand. & communiter DD. idem probat text. in *Authentic. Cui relicta. versic. fin. Cod. de Indict. viduit. toll. quem ibi no-*

tat

tat Solus Salycet. Facit etiam notabilis doctrina Glossæ ordinariæ in leg. 1. in glossa magna in fin. vers. *At hic non ita credo. Cod. de Inoffic. donat.* ubi dicit, quod casibus, in quibus ipso jure ex aliqua dispositione transfertur dominium sine traditione, resoluta illa dispositione & titulo, re transfertur ipso jure dominium sine aliqua alia traditione: secus verò è contra, si in aliqua dispositione requiratur traditio, prout regulariter requiritur in contractibus; quia similiter requiritur in dissolutione: quam Glossam dicit ibi valde notabilem Bald. in finalibus verb. Alexand. in leg. fin. *Cod. de Legat. 2. col. num. 3.* & istam doctrinam ponit Bart. licet illam Glossam non alleget, in leg. *Et ideo. ff. de Condit. furt. 1. col. num. 2.* Pro qua sententia & doctrina considero textum singularem in proposito in leg. *Mortis causa res donata. cum leg. sequent. ff. de Donation. causa mort.* quem sic induco: In donatione causa mortis solo titulo transit dominium in eum cui fit donatio sine aliqua traditione: text. est unicus in jure juncta Glossa in leg. 2. ff. de Publ. quem ibi dicit unicum Bald. & Angel. de Perus. & dicit unicum Bald. in leg. 2. *Cod. Si quis alteri sibi. post princip. num. 2.* isto enim casu, si revocetur donatio expressè vel tacite, statim ipso jure acquiritur dominium ipsi donatori: iste est verus & realis casus in dict. leg. *Si mortis caus. cum leg. sequent.* quem ad hoc considerat & reputat valde singularem Paul. de Castr. ibi. Ex quo text. in dict. leg. fin. *Cod. de Legat.* sic declarato & confirmato, infero & dico, quod procedit & debet extendi, nedum quando res legata debet post tempus redire ad ipsos hæredes testatoris, sed etiam si ex dispositione testatoris debeat redire ad quemlibet tertium extraneum: quod aperte fundatur ex superioribus: & in expresso ita tenet ibi solus Petr. de Bellapert. 1. column. propè fin.

28 Non obstat etiam dicta lex Partitæ: Quia in quantum dicit, quod transacto die vel tempore, hæres donatoris vel alter tertius consequetur & acquirat dominium & possessionem rei, debet intelligi, quod respectu ipsius donatoris vel hæredis bene revertitur dominium & possessio; quia non recesserat ab eis, cum tantum rem concessit utendam & fruendam respectu ususfructus, & sic dominium & civilis possessio erat penes eos: Sed respectu extranei est difficultas illius legis; undè, posset dici, quod respectu extranei intelligatur, quod quæ-

ratur ei dominium & possessio, mediante actione personali quam habet ex pacto donatoris, juxta text. cum materia in dict. l. *Quoties. Cod. de Donat. quæ sub mod.* Et iste sit verissimus sensus & intellectus illius legis Partitæ: Et confirmatur; quia cum leges Partitæ regulariter non sint correctoriæ juris communis, non est dicendum nec credendum, quod illa lex corrigat in hoc jus commune tot & tantis legibus & rationibus confirmatum. (p) Vel aliter & secundò, & quidem subtiliter potest intelligi illa lex, quando primo res donatur quoad usumfructum pro certo tempore, ut post tempus res pertineat alteri: nam tali casu post illud tempus quæritur illi tertio dominium & possessio ipso jure; quia videtur intervenire quidam actus fictus translativus possessionis, scilicet retentio ususfructus, argumento text. in leg. *Quisquis. Cod. de Donat.* & eorum quæ late dico in materia possessionis, in quarto actio ficto. Vel aliter & tertio dicamus, quod illa lex sit nova & exorbitans à regulis juris communis: & per eam deciditur, quod illo casu transeat dominium & possessio in illum tertium: & fortè potest esse ratio; quia loquitur de bonis vinculis & restitutioni subjectis, in quibus specialiter hoc voluit decidere illa lex, & ex ea fortè hodiè habuit ortum lex 45. infra his legibus Tauri. Sed adhuc primus intellectus supra assignatus videtur mihi verior & tenendus.

29 Item adde pro intellectu & declaratione text. in dict. l. *Quoties. Cod. de Donat. quæ sub mod.* quod licet vellet, quod si res donatur eo pacto vel modo, ut post mortem donatarii vel post certum tempus pertineat alicui tertio, acquiratur ei actio personalis; tantum habet locum & procedat in contractu donationis; secus tamen est in alio, ut venditionis, vel quovis alio: ita notabilis Alexand. in dict. leg. *Stipulatio ista. §. Si stipuler. fin. col.* & est è mente Bart. & aliorum DD. ibi. Item adde ad prædictam leg. *Quoties.* cum communi opinione, quod licet in prædicto casu, quando quis donat eo pacto, ut post mortem vel tempus quærat alteri: licet illi tertio quærat actio personalis pro re vel interesse; tamen debet intelligi contra obligatum, vel ejus hæredem: tamen non habebit actionem contra tertium possessorem rei; quia actio realis hoc casu non competit, cum non transeat dominium nec possessio; actio verò personalis similiter non com-

(o) Idem asserit Covarrub. lib. 1. *Variar. cap. 41. num. 5.* Gomez Arias in leg. 43. *Taur. num. 3.* Matienz. in leg. 8. tit. 7. lib. 5. *glos. 3. num. 21.*

Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.